



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sulpici[i] Severi Presbyteri Opera Omnia

Sulpicius <Severus>

Amstelodami, 1665

Trajani persecutio, Iudæorum rebellio, & extremum urbis excidium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11490

nis, morte aut pœna dignum, reperisset, ¹ sœviri in eos ⁴
ultra vetuit. Sub *Hadriano* deinde, ² Judæi rebellare volue-
runt, ³ Syriam ac Palæstinam diripere conati: missoque ⁵
exercitu subacti sunt. Qua tempestate, *Adrianus*, exilti-
mans ⁴ se Christianam fidem loci injuria perempturum, &
in

Christo, quasi Deo, dicere solitos, obtritosque inter se, non in scelus aliquod, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent. Pervicaciam & inflexibilem in iis obstinationem culpât *Plinius*, in hoc uno, quod deos appellare, & simulacris numinum ture ac vino supplicare, ac Christo maledicere nollent, neque ut id facerent, ullis tormentis cogi possent. Epistola quæ ei respondet *Traiani*, eum ait re ipsa manifestum facere Christianum se non esse, qui diis Romanis supplicet. *Grotius*.

¹ *Sæviri in eos ultra vetuit.*] Anno Christi centesimo undecimo. *Eusebius*. Quæ si vera, duravit hæc persecutio annos tres, aut ut alii volunt, octo. *Drus.*

² *Judæi rebellare voluerunt.*] Imo rebellaverunt, duce quodam Judæo, quem *Eusebius* & alii *Barchochabam* nominant. Id sonat *stella*. Nam *Chochab stella*. De quo *R. Aquiba* exponebat textum illum, *oriatur stella ex Jacob*. Idem ejusdem armiger fuisse traditur. Meminit *Hiero.* adversus *Rufinum* l. 3. cap. 9. *Barchochabas* autor seditionis *Judaica stipulam in ore succensam anhelitu ventilabat, ut flammam evomere putaretur*. Magnus hostis fuit Christianorum, quod sibi contra Romanos militare nollent. *Eusebius*, Judæi eum nominant *Barchoziba*, id est, filium mendacii, quod fraudulenter circumvenisset eos, Messiam se esse persuadendo. Ejus mentio in *Thalmud*, tractatu *Sanhedrin*, & in *Johasin*. Verba *Salmanticensis*, *Filius Choziba rebellavit in Romanos, surrexitque & profectus est in Cyrenen, quæ in Africa, surgentesque Judæi, qui ibi erant, occiderunt omnes Romanos & Græcos in il-*

lis locis, qui arenam maris numero equalant. Inde abiit in *Ægyptum* & fecit similiter. Quod cum audirent *Judæi* qui in *Giphdi*, hoc est, in *Ægypto*, interfecerunt omnes gentes, usque adeo ut non remaneret residuum. Quo audito, *Trajanus* misit contra eos *Adrianum*, qui subegit eos & posuit legem *Romæ*: ne quis *Judæus* intraret *Ægyptum*. Dicunt etiam doctores nostri: *Adrianus* *Caesar* occidit multa millia, in *Berber* autem occidit duplo plures quam egressi sunt ex *Ægypto*, anno *LII*. post excidium. In מלכי רומי. In diebus *Domitiani* extitit *Choziba*, & in diebus *Nervæ* & in diebus *Adriani* regnavit *Choziba* & filius ejus neposque ejus: qui bellarunt bella magna cum omnibus gentibus, & subegerunt *Ægyptum*. Contra hos roboravit se *Adrianus*, & ascendit contra terram *Juda*, percussitque filium *Choziba* & occidit eum. Tum extinctus est populus multus. Non vexavit eos *Nabuchodonosor*, neque *Titus*, sicut *Adrianus* *Caesar*. Vide *Petit. l. Ecl. Chron. xiv*.

³ *Syriam ac Palæstinam.*] Accidit hoc anno Christi *cxxxv*. Ad quem annum *Eusebius*, *Judæi ad arma*, inquit, *versi*, *Palæstinam depopulati sunt*, tenente provinciam *Tenio Ruse*, cui ad opprimendos rebelles *Hadrianus* misit exercitum. Vide *Euseb. iv. Hist. II. 6. Oros. vii. Nicephor. III. 24. Dionem*, & alios.

⁴ *Se Christianam fidem loci injuria perempturum.*] Vim *Hadriano Sulpicius* facit. Nam *Hadrianus* ex animo Christianis favit, sed occulte. Quin & molitum ferunt, ut *Christus* pro Deo reciperetur, templaque in eum usum erexisset: deterritum tamen consilio *Quondam*, qui affirmabant fore ut cultus omnis Deorum periret, si id fieret, quod de *Christo* cogitabat. Igitur non id molitus